



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1780**

**VD18 90119207**

§. 55. Confictæ hujus conjurationis capita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

Sæc. XVII.  
A. C. 1677.

amplioresque ab eo favores haud temere sperare poterant, sine omni causa, quam ipsimet iniquissimi hujus Fabulæ Architecti confingere obliti sunt, conspirare, eique vel ferro vel sclopeti ictu vel veneno (de mortis genere hi accusatores ipsimet non convenere) vitam adimere moliti fuerint, cum tamen sat prospectum haberent, quod mortuo hoc Rege, Calvinistæ excluso Eboracensi, Calvinianum Principem, a quo acerbiora adhuc, quam unquam passi essent, exspectarent, in solium intrusuri sint: Horrendæ hujus fabulæ falsitatem tot luculenta detegunt documenta, ut ipsimet Protestantes æquitatis magis studiosi mendax hoc commentum detestentur, proin Catholicorum innocentiam vindicare prorsus superfluum sit: *dum enim palam falsa sunt, quæ nobis objiciunt, negare satis est (\*)*.

## §. LV.

*Confictæ hujus conjurationis capita.*

Præcipuum hujus conjurationis Authorem Calvinianus hic rabula pro antiquo hæreticorum more fingebat Innocentium XI. summum Pontificem, *qua-*

(\*) Quintil. lib. 5. cap. 13.

Sæc. XVII. *qualis nempe vir, talis & oratio*: nec e  
A. C. 1677. nim Oates apud Calvinistas fidem ha  
 buisset, nisi juxta suæ scholæ regulas  
 Papam tanquam tyrannum ac cruen  
 tum Principum hostem in scænam pro  
 duxisset. Mentiebatur ergo, quod hic  
 Pontifex Mense Decembri hujus anni  
 præsentibus plusquam trecentis homi  
 nibus (fors ad majorem tanti secreti  
 fidem tantam hominum frequentiam  
 convocabat) Angliæ Regnum ob Re  
 gis populique hæresin ad Sedem Apo  
 stolicam esse devolutum palam decla  
 rarit, simulque per Apostolica diplo  
 mata, quæ Paulus Oliva Jesuitarum  
 Generalis expedire jussus esset, præci  
 pua Regni munia inter Catholicos dis  
 tribuerit, & quidem Bulla, aut Mense  
 Novembri aut Decembri desuper edita  
 cujus copiam sibi a Blundelo die 30  
 Augusti monstratam mentiebatur Oat  
 es, Cardinali Howardo Norfolciæ Dun  
 Archiepiscopatum Cantuariensem, E  
 boracensem Perroto sacerdoti, ceteros  
 vero Episcopatus Jesuitis (hos in con  
 jurationis typo præteriisse, piaculum  
 fuisset) aliisque Sacerdotibus, Abba  
 tias autem Westmonasteriensem &  
 Sionhusanam Benedictinis, quinque  
 vero decanatus Bettoni Sorbonæ Do  
 ctori, Leyburnio Cardinalis Secretario  
 Howardo & duodecim Canonicis Be  
 nedicti

nedictinis, Morgano Laico, & Wat-  
 kinsono Ulyssiponenſis Collegii Præſidi,  
 reliquas vero dignitates Eccleſiaſticas  
 Hiſpanis, aliisque exteris adjudicarit.  
 Poſtea Oates fæcundiſſimus hic men-  
 daciſſimus Parens fingebat. I. Richar-  
 dum Strange Provincialem ac quatuor  
 alios Jeſuitas die vigefima nona Aprilis  
 Patri Suimano Jeſuitæ Hiberno Ma-  
 driti agenti ſcripſiſſe, quod Præſbyte-  
 rianos in Episcopales ſuis ſermonibus  
 concitare velint, has vero literas a Je-  
 ſuitis Tito datas, & a ſe Burgis aper-  
 tas fuiſſe mentiebatur idem Titus, cur  
 quæſo, eas coram Parlamento non ex-  
 hibuit? II. Quod Hiſpani Jeſuitæ ſuos  
 Alumnos Anglos adegerint, ut fide-  
 litatis juramentum utpote hæreticum,  
 diabolicum & religioni contrarium de-  
 teſtarentur, aſque in Collegio Vallifo-  
 litano die vigefima nona Septembris  
 coram Tito docuerint, Carolum II. Re-  
 gem non eſſe legitimum, ſed Nothum  
 ex Scotiæ Mago natum. III. Jeſuitas  
 Audomaropolitanos die decima Janii  
 perſcripſiſſe, quod Londinenſes Jeſuitæ  
 Eboracenſem Ducem, ſi eorum votis  
 non annueret, interficere parati eſſent,  
 Titum vero has literas inſpexiſſe, ſi-  
 mulque detexiſſe, quod Jeſuitæ nu-  
 peri belli, Londinenſis & Suthwar-  
 ciſis incendiarii Authores exſtiterint,

Sæc. XVII. ibidemque unionum & sexdecim mil-  
 A. C. 1677. lium librarum sterlingicarum opiman-  
 prædam fecerint. IV. Suimanum Je-  
 suitam ad Vallisoletanos Jesuitas die  
 prima Julii scripsisse, quod Angliæ Re-  
 veneno sublatus fuerit, applaudentibus  
 Jesuitis Londinensibus, qui Stuarto  
 deservire parati essent, dummodo Pro-  
 testantium sectam everfurus sit. V.  
 Petrum Richardum Strange die vigesi-  
 ma Junii & Julii perscripsisse, quod ipse  
 pro trucidando Rege aptos sicarios in-  
 venire satageret, Williamus autem  
 exequi renuerit, etsi ei mille quin-  
 gentæ libræ fuissent promissæ: die au-  
 tem tertia Novembris Patrem Petrum  
 de Corduba Jesuitam suis literis ad Ri-  
 chardum & Keinsium datis significasse  
 quod in præmium decies mille libræ  
 sint accepturi, si Regem e medio tol-  
 lerent, alios decem Jesuitas Audoma-  
 ropolitani Collegii Rectori scripsisse  
 quod Regem delitiis suis immersum ve-  
 per suos vel per Vakemanum Regium  
 Medicum veneno interficere intende-  
 rent, atque a Patre La Chaise Fra-  
 ciæ Regis Confessario, pro interfectione  
 decem librarum millia apud quemdam  
 Aurifabrum esse deposita, item Jesuitam  
 die duodecima Decembris scripsisse ad  
 eundem P. La Chaise, quod Presbyte-  
 rianos in Scotia ad seditionem concita-  
 rant.

tarint, eorumque viginti millia arma Sæc. XVII.  
 fumere parati essent, si Rex Franciæ A. C. 1677.  
 Anglo Regi bellum denuntiare & in  
 Hiberniam, Catholicis ibidem conspi-  
 rantibus, irrumpere vellet, insuper alios  
 Jesuitas die vigesima sexta Decembris  
 præfato Regis Confessario suis literis  
 nuntiasse, quod quinquaginta circiter  
 Jesuitæ Londini in Popina ad equum  
 album deliberassent de modo, quo Re-  
 gem ejusque fratrem e medio tollere  
 possent, nisi eorum votis accesserint,  
 sique illos trucidandi occasio deesset,  
 ipsum Regem saltem e Regno ejicere  
 vellent, huic autem consultationi Ti-  
 tum interfuisse. Has pluresque alias  
 ejusmodi literas vel sibi ab ipsis Jesui-  
 tis ad legendum fuisse traditas, vel a  
 semetipso perlectas, audacter mentie-  
 batur impiissimus Oates: Postea se par-  
 tim ex conjuratorum literis, partim ex  
 eorum colloquiis hausisse referebat, in-  
 ter eos conventum esse, ut duo Bene-  
 dictini quatuor Hibernis sicariis stipati  
 Regem pugione transfoderent, Wake-  
 manus autem Eques adstipulante ipsa-  
 met Regina eum veneno interficere  
 pollicitus esset, jamque in cædis præ-  
 mium quinque librarum sterlingicarum  
 millia receperit: in præcipuis quoque  
 locis Londini ignis subjiceretur, ac  
 grassante incendio omnes Protestantes

Sæc. XVI. interficerentur, ad cuius rei executionem  
A. C. 1677. nem quinquaginta hominum millia in  
 armis essent, atque ex Gallia decem  
 armatorum millia, ex Hispania vero  
 triginta millia partim Peregrini partim  
 Fratres Laici præstituto tempore ad-  
 venturi sint: insuper septuaginta Hiber-  
 norum millia unacum Gallicis copiis  
 clam in Hibernia (absdubio, nemine  
 cogitante) convenirent, ac demum  
 signo ex Anglia dato totam Insulam  
 Ductoribus Tallbot Duce, ejusque  
 Fratre Dublinensi Archiepiscopo ferro  
 flammaque devastarent: Hæc præce-  
 pta erant hujus calumniatoris men-  
 dacia, ac somnia, quæ ex ipsa rela-  
 tione falsitatis, ac turpissimi commenti  
 notas produnt, duntaxat ab illis in  
 hanc usque diem credita, quibus ad  
 Catholicos vexandos atque eliminan-  
 dos, calumniæ & quævis mendacia  
 sufficiunt. Porro hujus commentitiæ  
 conjurationis successum ac mala anno  
 sequenti recenserebimus.

## §. LVI.

*Andegavensis Episcopi querelæ ad Pa-  
 pam circa corruptam morum do-  
 ctrinam, & Jansenianæ hæ-  
 resis convitium.*

Per